



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci Svarez, Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia
Sacrarum Literarum Primarij Professoris. Tractatvs De
Legibvs, Ac Deo Legislatore**

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1619

Cap. II. An hæc potestas sit propria legis gratiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94074](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94074)

gratiam suam datefficaciam, & incrementum; tamen homines etiam possunt plantare, & rigare, atque ita dirigere per leges in finem supernaturalem, & eadem ratione possunt per spirituales penas, vel alias congruentes eos cohibere à peccatis in ordine ad æternam salutem, quæ per peccata impeditur. Et quanuis humanæ coactiones, vel coertiones per se non possint mutare internam voluntatē, in qua peccatum propriè existit, nihilominus necessaria est hæc coactio; tum quia vexatio solet dare intellectum; tum etiam quia sublata occasione, vel commoditate exercendi actū externum multo facilius voluntas desinit ab interno affectu: tum deniq; quia ipsa exterior obseruatio ad bonum Ecclesiæ, & vitanda scandala, & dissensiones, ac similia, necessaria est. Ideoq; pastores Ecclesiæ vtraque potestate directiua, & coactiua vtuntur, & non solum interiorem iustitiam, sed etiā exteriorem honestatem, decentiam, & ornatum per suas leges procurant. Et iuxta hæc intelligenda sunt aliqua, quæ hic ex Patribus obici solent, quæ omitto, quia difficultatem Ecclesiæ ad præcipiendum, & vindicandum, sed consulunt modum suauem illa vtendi, & prudentem, ita vt præcipua cura sit de interiori correctione, quamuis exterior non sit omitenda. Et ita facile intelliges Chrysostrum lib. 2. de Sacerdo. & alia, quæ tractat Turrecrem. lib. 2. de Ecclesiâ, cap. 45. & 47.

Quomodo intelligendi sunt Patres q; sententia videtur contra prædictam potestatem

Chrysostrum Turrec.

CAPVT II.

An hæc potestas sit propria legis gratiæ, vel sit etiam de lege naturæ, & fuerit inscripta.

1. Ratio dub.

Ratio dubitandi est, quia Ecclesia antiquior est lege gratiæ, cœpit enim ab Abel, & perperuò durauit; ergo semper indiguit hac potestate. Probatur consequentia, quia Ecclesia est, semperq; fuit vnum corpus mylticum, distinctū formaliter (vt sic dicam) à corpore politico, ordinatum, scilicet, ad diuersum finem, nimirum felicitatem supernaturalem, & vnitum diuerso vinculo, scilicet, vnitatem fidei, & exercēs diuersas actiones, illas scilicet, quæ pertinent ad cultum Dei, & sanctificationem animæ; ergo semper indiguit propria potestate, quæ in hominibus accommodatè regeretur, alias non esset bene institutum, sed esset corpus truncum, & confusum. In contrarium autem est, quia hæc potestas est supernaturalis, vt ostēdimus, vnde pendet ex supernaturali reuelatione, vt habeatur, & peculiari Spiritus sancti influxu, vt exerceatur. Quod significauerunt Apostoli Act. 15. dicentes, *Vnum est Spiritus sanctus, & nobis*: non constat autem de tali reuelatione, & assententia ante legem gratiæ; ergo. Accedit, quod hæc potestas pertinet ad clauis: clauis autem regni caelorum sunt propriæ legis gratiæ, Matth. 16. ergo.

A flor. 15.

2. Resolut. au. cloris.

Respondeo, vestigium aliquod, seu participationem aliquam huius potestatis ante legem gratiæ, atque adeo semper in Ecclesia fuisse; perfectam autem potestatem, prout nunc est in Ecclesia, propriam esse legis gratiæ, & à Christo Domino fuisse collatam. Hanc assertionē sumo ex communi sententia Theologorum in materia de clauibus. in 4. d. 18. Quam distinctius, & copiosius tractauit Victoria relect. 1. de potest. Ecclesiæ, q. 2. & 4. Vt autem singulas partes probemus oportet discurrere per omnes stat⁹ generis humani, præsertim legis naturæ, scriptæ, & gratiæ.

Victoria.

3. Duplex obf. derivatio legis naturæ.

Circa legem ergo naturæ recolendum est, quod sæpe dixi, spectari posse vel in ordine ad puram naturam, seu ad rationem naturalem nuda sumptam, vel prout illuminatam lumine fidei. Priori modo intelligi potest in humano genere vestigiū quoddam huius potestatis, non quidem supernaturalis, vt perse-

notum est, quia natura ex se nihil supernaturale habet, sed naturalis cum quadam proportione ad hæc potestatem spiritualem. Quod ita declaro, quia natura hominis per se requirit veram Dei cognitionem intra ordinem naturæ, vt in eodem ordine suam perfectionem, & beatitudinē naturalem obtinere possit, cui cognitioni accedere debet cultus Deo debitus, ne incidatur in reprehensionem Pauli, *Qui cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt*: ergo respublica humana etiā in pura natura spectata indigeret vnione, & conformitate in huiusmodi cognitione, & cultu veri Dei; ergo indigeret et potestate, quæ illam gubernaret in ordine ad hunc finem, & præscriberet sacrificia, caeremonias, & alias circumstantias necessarias ad verum Dei cultum: ergo hæc potestas ex ipsa ratione naturali cōuenit hominibus, non minus, quam potestas polita. Et confirmatur: nam in omni natione, etiam falsos deos colente, semper fuit potestas sacerdotalis, vel pontificia distincta à regali, saltem in sua formalitate potestatis moralis, licet non semper essent in distincta persona. De quo vsu videri possunt multa apud Alexandrum ab Alexandro cum Tiraquello ibidem lib. 2. genialium dierum, cap. 8. Hæc autem generalis consuetudo declarat infinctum naturæ: ergo hic multo magis inuenitur circa cultum, & cognitionem veri Dei, ad quem natura intrinsecè, & per se ordinatur.

Rem.

3.

Vnde consequenter fit, ita esse sentiendum de origine, & subiecto illius potestatis præcisè sumptæ in eo gradu, sicut de potestate ciuili. Esset enim radicaliter à Deo, medio discursu rationis, & ex sola natura esset immediata in sola communitate perfecta, per illam verò conferri posset vel vni personæ, vel multis in vnum congregatis, vt administraretur. Quæ omnia eisdem rationibus probanda sunt, quibus similia de potestate ciuili ostēdimus. Vnde etiam fit, potuisse hanc potestatem, & ciuilem constitui in diuersis personis, & in eadem pro arbitrio hominum, quia natura, vel ratio nihil in hoc necessario determinat. Semper autem seruatum videtur ab hominibus, vt licet particulares magistratus ciuiles, & sacerdotales diuersis hominibus tribuerentur, quia varietas actiōnum illam distinctionem postulabat: nihilominus suprema potestas vtriusq; ordinis, præsertim quoad leges ferendas in vno principe collocaretur. Et ita Regibus, & Imperatoribus semper fuit tributa, vel subordinata hæc potestas in Romana vrbe, & imperio, vt ex historiis constat: idemque de aliis communitatibus verisimile est, vt videbimus etiam in sequenti membro. Rationem verò attigit D. Thomas 1. 2. q. 99. art. 3. dicens, *semper humanam rempublicam vtrem sola potestate naturali habuisse curam diuini cultus, & rerum omnium ad religionem pertinentium in ordine ad communem pacem, & politicam gubernationem, & quia hic est finis regie potestatis; ideo cetera omnia ei subordinata fuisse*. Vbi Caietan. significat, hoc non solum habuisse locum in his gentibus, quæ falsos deos colebāt, de quibus mirum non est, quod cultum Dei ordinarent ad modum humanum, sed etiam in colentibus verum Deum solo lumine naturali; *Quia illud* (inquit) *non est in re, nec malum, quia non Deus ipse: sed cultus Dei ordinatur ad pacem, & vnionem hominum inter se, quod non est malum, etiamsi non sit perfectum*. Vnde quia homo in pura natura, vel absolute non potest, vel difficile potest diligere, & colere Deū perfectè propter seipsum, ideo potestas hæc in pura natura considerata semper haberet illam imperfectionem adiūctam, propterea in supremo Magistratu non esset separata à ciuili, moraliter, seu regulariter loquendo.

D. Thom.

Cait.

4.

Loquendo autem de lege naturæ in ordine gratiæ, consequenter dicendum videtur, semper habuisse coniunctam potestatem aliquam sacerdotalem, in se quidem supernaturalem, & spiritualem: conaturalē autem ipsi gratiæ. Ita sentit Victor. supra, & probatur effi-

SVA
110
12

efficaciter ratione dubitandi in principio posita. Itē ex proportione inter naturā nudē sumptam ad naturalem finem cōparatam, & naturam eleuatam per gratiam collatam cum supernaturali beatitudine. Deniq̄ quia in illo statu esset in communitate humana exterior fidei professio, & cultus Dei, vt supernaturalis finis, quæ nō essent determinata ex solo diuino iure, quantum ad modum, tempus, & alias circumstantias: determinanda ergo erant iure humano, ergo necessaria erat in Ecclesia potestas, & magistratus Ecclesiasticus, ad quem illa cura pertineret.

5. Hinc autem fit, quoad subiectum, & modum potestatis ita esse iudicandum de illa potestate, sicut de alia naturali cum proportione. Habuit enim originem à Deo auctore gratiæ, non tamen per distinctam donationem (vt sic dicam) vel reuelationem, sed media infusione ipsius luminis supernaturalis, & quantum ex illo supernaturaliter sequitur, sine alia positiva determinatione. Ideoq̄ per se primo talis potestas esset in communitate perfecta, & per illam iuxta arbitrium, vel traditionem humanam collocaretur in aliqua persona, vel congregatione plurimum, per quā administraretur. Solum superest in hoc aduertendum, Ecclesiam in illo statu non habuisse tam perfectam vnitatem, quam nunc per Christum habet; solum enim habebat vnitatem fidei, & habitudinibus ad eundem finem supernaturalem, & eundem mediatorem Christum, non tamen habebat vnitatem subiectionis, & obedientiæ ad vnum caput in terris, nec necessariō habebat conformitatem in externis signis sacramenti, aut sacrificij, aut aliarum ceremoniarum. Vnde fit, vt hæc potestas non fuerit tunc vna, & eadem numero, ac suprema pro tota Ecclesia, sed in vnaquaq̄ republica perfecta, & totali poterat esse suprema potestas in hoc ordine, sicut erat suprema ciuili, quia hoc totum pendebat ex determinatione hominū, & ideo vnaquaq̄ communitas ab alia independens in subiectione ciuili, etiam in hac subiectione esset independens, quamquam si homines vellent, possent alio modo conferre hanc potestatem, seu determinare, de qua re nonnulla attingi in 1. tom. 3. part. disp. 47.

6. Superest dicendum de tempore legis scriptæ, de quo certum est fuisse à Deo iniunctum peculiare sacerdotium distinctum à dignitate regali, & ab illo sacerdotio, quod erat in legem naturæ, vt constat ex lib. Leuitici, & ex tota Epistol. Pauli ad Hebræos. Quantum illud sacerdotium non erat vniuersale pro tota Ecclesia, quæ tunc esse poterat in Iudæis, & in gentibus, sed solum pro synagoga. Secundo est certum perinuisse ad illud sacerdotium potestatem gubernandi, & dirigēdi ea, quæ pertinebant ad res sacras, & ad declarationem dubiorum occurrentium circa legē, & circa iudicia causarum: sic enim Deut. 17. dicitur. *Qui superbiuerit nolens obedire sacerdoti imperio, morietur.* Habebat ergo Pontifex potestatem obligandi imperio suo, alias non imponeretur tā grauis poena transgressoribus non obedientibus. Et ideo dicebat Christus Matth. 23. *Super sedem Moysi sederunt scribæ, & Pharisæi, quæcumq̄ dixerint vobis, seruate, & facite.*

7. Nihilominus dubitari potest, an Pontifex tunc habuerit potestatem legislatiuam in re recte esse poterat iurisdicō ad gubernandum templum, & iudicandum de his, quæ spectabant ad obseruationem legis Dei, sine potestate imponēdi nouas leges: quæ illo tempore non videntur adeo necessariae fuisse, quia omnia pertinentia ad sacramenta, sacrificia, & ceremonias factis in partitulari erant determinata per præcepta diuina, quæ tam multa erant, vt necessarium non esset alia adiciere. Et ideo videtur hoc fuisse prohibitum Deuter. 4. & 12. vbi rigorosè prohibitum est aliquid addere, vel minuere de his, quæ præcepta erant. Vnde Matth. 15. videtur Christus Dominus reprehendere traditiones seniorum, quas videlicet ipsi addiderant tanquam nouas leges. Quod Suarez de Legib.

ita videtur exponere Chrysof. ibi Homil. 52. sentiens, illos Pontifices non habuisse potestatem condendi leges. Quod si quis obiciat, apud Iudæos fuisse nouas aliquas festiuitates ex præcepto humano institutas Esther 9. Iudith vlt. 1. Machab. 4. Responderi posset illas non fuisse proprias leges sola auctoritate Pontificum latas, sed quædam vota communi consensu totius populi emissa. Vnde ibi dicitur, *Statuit vniuersa Ecclesia, & c.* Ex voto autem aliquid, vel aliquod tempus Deo voluntariè consecrare, semper licitum fuit.

His vero non obstantibus, dicendum est, fuisse in illo populo potestatem legislatiuam. Ita tenet Bellarm. lib. 4. de Pontif. cap. 17. & Victor. supra q. 4. nu. 6. Salmerton to. 4. in Euang. part. 3. tract. 12. & est aperta sententia D. Thomæ lect. 2. & 3. in Epi. ad Galat. 1. exponens illa verba, *Abundantius amulatores existens patrum meorum traditionum*: quæ intelligit de legibus humanis iuste latis in eo populo. Et illud Deut. 4. exponit de additione contraria, vel repugnante legi. Nam c. 5. eiusdem Deut. ita illud declaratur, *Non declinabis neq̄ ad dexteram, neq̄ ad sinistram.* Additio ergo, quæ non declinat a lege, id est, quæ illi non repugnat, non erat prohibita. Atq̄ ita Christus Dominus Matth. 15. reprehendit Iudæos, dicens, *tristum fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras.* Et afferit verba Isai. 29. quæ superiori capite obiciebantur, & ita illa exponit, *Sine causa colunt me, docentes doctrinam, & mandata hominum, utiq̄ quibus irritabantur, & contemnebantur mandata Dei, vel quæ superfluitiosa, & ad verum Dei cultum nihil conducebant.*

9. Sed licet hæc vera sint, nihilominus non constat, sacerdotem Leuiticum, etiam summum ex vi Pontificatus, & solius diuini iuris habuisse potestatem legislatiuam super vniuersum populum, quia nullibi legitur esse illi concessam. Nam Deut. 17. solum conceditur sacerdoti summo cū consilio aliorū potestas maxima in decisione dubiorū insurgētium in causis, vel circa interpretationē legis: potestas autē legislatiua est valde diuersa. Vnde probabile est, ante tēpora regum, vel illis deficientibus, fuisse illam potestatem in populo, & ita Esth. 9. totus populus communi consensu statuit legem de solemnitate cuiusdam diei. Idē Iudith vlt. Nam tunc populus destitutus erat rege, si vera sunt, quæ de tempore illius belli conieciat Benedict. Perer. lib. 1. in Dani. prætera li. 1. Machab. c. 4. dicitur, *Et statuit Iudæi, & fratres eius, & vniuersa Ecclesia Israel, & c.* Tempore autem regum in eis videtur fuisse potestas legislatiua, vt sumitur ex 1. Reg. 30. vbi Dauid quandam legem tulit, & inferius cap. 10. magis constabit. Erat ergo potestas sacerdotalis, seu Pontificalis longè inferioris rationis ab ea, quæ nunc est in Ecclesia, non solum quia limitata erat quoad populum, locum & tempus, sed etiam quia nec in se supernaturalis erat, sed solum quoad modum, quia ab ipso Deo fuerat immediatè instituta, id est, quia non erat ex se potestas illa supernaturalis in substantia (vt sic dicam) sed solum in fieri, & modo, quia Deus illam dedit, potuisset tamē populus illud sacerdotium instituere, si Deus non præuenisset, vt Cordubado cet cum Victor. relect. 1. de potestate Ecclesiæ, q. 3. Victor. proposit. 6. Nec etiam erat de ratione illius potestatis, vt esset legislatiua, quia finis eius non erat gubernare populum, sed ministrare Deo pro populo. Vnde ex natura rei ad summum includebat potestatem præcipiendi, quæ necessaria esset ad vsum illius ministrarij, vt magis sentit Victor. q. 4. num. 6. Quod autem Deus specialiter contulerit Pontifici legali potestatem leges ferendi sola sua auctoritate, non constat, nec ex Matth. 15. aut 23. aut Deut. 17. vel aliis similibus id sufficienter colligi potest.

10. Vltimò ex dictis concluditur principalis pars assertio, & præcipuè intentata, scilicet, potestatem hanc spirituales, prout nunc est in Ecclesia, esse propriam eius singulari dono à Christo datam. Hoc certum

Chrysof.
Hom 52.

Esther 9.
Iudith vlt.
1. Machab 4.

8.

Fuisse in populo hebræo legislatiuam potestatem. Bellarm. Victor. Salmerton. D. Thomæ.

Matth. 15.

Isai. 29.

9.

Esther 9.
Iudith vlt.

Pererius.
1. Machab 4.

1. Reg 30.

Cordubado.

Victor.

10.

Ultima conclusio.

E
Z
T
H
O

tum est ex Euangelio, in quo primum promittit Christus hanc potestatem Matth. 16. *Tibi dabo claves regni colorum, & quodcumque ligaueris, &c.* Deinde impleuit promissum Ioann. 21. vt latius videbimus capite sequenti, Paulus etiam affirmat se accepisse à Domino hanc potestatem, & idem est de aliis Apostolis, vt statim latius dicem. Declaratur autem ex perfectionibus huius potestatis & ex modo eius. Primum enim est vniuersalissima pro toto mundo: nam sicut Ecclesia Catholica totum mundum complectitur: ita etiam hæc potestas, vt ex illis Christi verbis, *Pascite oues meas*, rectè colligitur Innocent. III. in ca. solita, de maiorit. & obediens, quia non dixit has, vel illas oues, sed simpliciter, *oues meas*; ita vt non sit ouis Christi, nec in eius grege numeretur, qui huic potestati non subiacet. Secundo, quia data est, vt perpetuo duret, quando mundus durauerit, quia sicut lex gratiæ vltima est, ita etiam hæc potestas, sine qua non potest Ecclesia suam vnitatem retinere. Et hoc significauit Christus cum dixit, *super hanc petram edificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non præualebunt aduersus eam*, Mat. 16. & cap. 18. adiecit, *Ego ego vobis, cum sum vique ad consummationem seculi*. Tertio, quia in se maxime supernaturalis est, non solum per conaturalitatem ad gratiam, sed etiam per specialem perfectionem, & excellentiam à Christo liberaliter additam propter perfectionem præsentis status.

Hoc etiam probat Victoria supra ex effectibus, quia per hanc potestatem consecratur corpus Christi verum, & sanctificatur corpus mylticum, cui etiam per illam remittuntur peccata, & gratia confertur. Sed si quis rectè consideret, hi non sunt effectus potestatis exterioris iurisdictionis, de qua nunc agim, sed potestatis ordinis, & quoad remissionem peccatorum potestatis iurisdictionis in foro penitentiae. Hic autem agimus de iurisdictione in foro externo Ecclesiastico, in quo non videntur dari effectus, vel actus supernaturales in se. Nihilominus dicendum est, hanc potestatem esse supernaturalem, primo ex coniunctione ad alteram, quia datur vt annexa, & coniuncta illi, & consequenter ad illam iuuandam, & quodammodo exequendam. Vnde per hanc potestatem ponuntur præcepta, quæ versantur circa sacramenta, & sacrificium, quæ supernaturalia sunt. Secundo est supernaturalis alius, quia plures effectus morales potest efficere ex concessione Christi, quam sine illa potuisset, vt est v. g. dispensare in votis, aut in matrimonio rato, & similia: hæc autem perfectio colligitur ex illis verbis vniuersalibus Christi, *Quodcumque ligaueris, & quodcumque solueris*. Tandem pertinet ad perfectionem huius potestatis, quod ex institutione sua monarchia est, & hunc modum habet ex diuino iure, & ideo immutabilis, vt constabit ex dicendis capite sequenti.

CAPVT III.

Quibus personis data fuerit, vel nunc etiam datur hæc potestas immediatè à Christo Domino.

Omnes hæreticis impugnantibus primatum Petri, contra quos in materia de Clauibus, & de fidelitatis disseritur, & videri potest Bellar. libris de Romano Pontifice à principio, dicendum est primo, hanc potestatem immediatè datam esse Petro à Christo Domino, & singulari, ac speciali modo. Hæc assertio est de fide, quæ præcipuè fundatur in illis duobus testimoniis Matth. 16. & Ioan. 21. nam licet Matth. 18. generaliter dixerit Christus, *Qui Ecclesiam, id est, pastores Ecclesie, non audierit, &c.* & subiunxit etiam generaliter, *Quodcumque ligaueris, &c.* tamen cap. 16. specialem promissionem fecit Petro, dicens, *Tibi dabo*

claves regni colorum, & Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam; ergo singulari, & speciali modo hanc potestatem illi promittit. Postea verò implendo promissum, etiam ostendit hanc singularem concessionem, & ideo prius illum publicè interrogauit Christus, an se diligeret plus quam ceteri, significans, plus etiam fuisse accepturum, & deinde subiungit, *Pascite oues meas*, Ioan. 2. vbi in verbo *pascendi*, potestas regendi, & leges ferendi significatur, vt supra tergit, & colligitur optimè ex 2. Reg. 5. *Tu pascis populum meum Israel, & eris princeps super eum*. Dum autem indefinitè dixit, *Oues meas*, vt supra dixi, ostendit potestatem esse supremam, & monarchicam etiam super alios Apostolos: nam illi etiam erant oues Christi. Et ideo dicitur in cap. in nouo Testamento, dist. 21. & cap. ita Dominus, dist. 19. Petro esse datam potestatem vt capiti, ceteris vt membris. Idem habetur in cap. cum beatissimus, & cap. loquuntur, cum multis aliis, 24. q. 1. Ex quo loco, & ex dist. 96. & multis aliis locis Decreti colligi potest euidentè traditio Pontificum, Conciliorum, & Patrum hæc veritatem confirmans, quæ Bellarmin. etiam supra copiosè profertur, & ideo illam omitto. Ratio verò propria fuit voluntas Christi; congruentia autem est, quia oportuit, & decuit in Christi Ecclesia esse perfectam vnitatem mylticam, & perfectissimum regimen, & instituit illam per modum monarchie, & supremam potestatem vni contulit, ad quam Petrus elegit sua altissima prædestinatione.

Dicit aliquis ex his omnibus solum probari, Petro datam esse potestatem vniuersalem regendi Ecclesiam; non vero inde sufficienter probari datam fuisse illi potestatem leges ferendi, quia potuisset Christus vniam potestatem dare sine alia. Respondeo vtrunq; conuincere ex dictis. Primum, quia verba Christi vniuersalia fuere, *Quodcumque ligaueris*; vniuersalium autem legum est vnum ex præcipuis, quod supremus princeps iniicere potest. Vnde suprema potestas ligandi hunc etiam actum potissimè comprehendit. Idè colligitur ex verbo illo, *Pascite oues meas*: nam ad officium pastoris pertinet oues custodire, & dirigere, ac coercere, quod per leges maxime fit ab humano pastore. Præterea ex natura rei includitur hæc potestas in munere capitis, & Principis seu supremi pastoris. Et ideo etiam Reges seculi, eo ipso quod à republica ad illud munus eligantur, potestatem legislatiuam accipiunt; sed Petrus accepit simile munus, & principatum spirituales: ergo & potestatem legislatiuam. Maior est naturaliter euidentis, quia repugnat, esse superiorem, & gubernatorem, & non posse præcipere, & suo præcepto obligare subditum. Alias posset subditus sine culpa non facere iussa superioris, & consequenter posset illi resistere, & non posset iuste cogi ad illa implenda, & ita non esset ordo, sed summa confusio, nec ille esset superior nisi nomine tantum. Et ideo principum hoc, *Obediendum est superioribus*, naturaliter lumine est euidentis, imò & per se norum ex terminis.

Dices, hæc ad summum probari potestatem præcipiendi: non verò leges ferendi; sicut Magistratus inferior habet potestatem præcipiendi; non verò ferendi leges. Respondeo, licet hæc sint separabilia in inferiori gubernatore, non verò in supremo, qui sit caput totius rei publicæ, loquendo saltè ex natura rei, quid quid sit de potètia absoluta Dei. Probat, cum quia potestas præcipiendi est proportionata principatui, vt de Regibus diximus: tum quia hoc est ex natura rei necessarium ad conuenientiam rei publicæ, vel Ecclesie gubernationem. Nam lex vltra præceptum, in præsentia materia, non potest adde, nisi perpetuitatem; hæc autem est summe necessaria ad bonum regimen vniuersale, cum perpetua mutatio, & cessatio legum ad mutationem personarum regentium, infinitam confusionem pareret, vt per se notum est, & supra est ostensum. Vnde à principio nascens Eccle-

SVA
112
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42
43
44
45
46
47
48
49
50
51
52
53
54
55
56
57
58
59
60
61
62
63
64
65
66
67
68
69
70
71
72
73
74
75
76
77
78
79
80
81
82
83
84
85
86
87
88
89
90
91
92
93
94
95
96
97
98
99
100